Nobilissimo, clarissimoque viro
D. Constantino Hugenio, Zulichemi
domino, C. Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Hugeni,

Quam longo tempore, praeter morem meum, egi Harpocratem. Ignosce, ignosce. Sylvas mihi Epigrammatum misisti facetissimorum et doctissimorum, quibus singulis ut responderem aut mea apponerem, sensi me imparem. Abripuit me pene in stuporem epistola illa tua, qua totum totus Senecam spiras et loqueris. Non poterant ejus lectione saturari amici. Epigrammata tua in sphaeras aedium tuarum fumosis turribus impositas, talia sunt, ut mihi materiem omnem meditandi surreptam aut praereptam libens fatear. Non puto in istis tuis sphaeris distinctas esse terrarum aut coeli zonas, cum hominum omnium passim mores confundat fumus, hoc est eadem vanitas. Debebat illic legi Vorstius redivivus, cum mendacia et nugas vendat, hoc est, fumos. Debebat illic habitare Daventriensis, qui facto cum aliis syncretismo fumos colligit, quos evectabit propediem. Mihi cum istis bubonibus luctari non vacat. Baccha bacchanti &c. Satis sit, semel sententiam & vitae institutum explicuisse.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 119
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1524

Mitto Homiliam in Praesepe, sive Natalem
Domini & Servatoris nostri Jesu Christi. Invenit
et hic improbitas, quod arrodat. Nempe cavilla=
bitur me ~~in~~ Praesepi ligneo attribuere multa,
quae ego de Praesepi metonymice sumpto, ex
phrasi Patrum et veteris Ecclesiae intellecta
volo. Augustinus praesepe adorandum
vocat, hoc est, Christum, qui in praesepi
iacet. praesepe vocat gratiae et consolationum
fontem, hoc est Christum, qui in cunis vagit.
Exemplaria quaedam amicis inscripsi. illa velim
per famulum distribui. Vale Vir
Maxime, et quem nobiscum exorsus es annum
feliciter Tibi tuisq. decurre. Amstelod. XIII
Jan. CIƆIƆCXXXVII.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 119
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1524

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 119
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1524

Nobilissimo, amplissimo,
clarissimoq. Viro Huygenio
D. Constantino Domino
Eq. Zulichem. Suriam
ab Celsitudinis
Secretario

Hagam